quocunque flagitante, cauſis cognitis tribui oportebit. Sin vero ejuſmodi poſtulantur curricula, quæ intra ſpatium receptum anguſtari nequeunt: (quippe ſi in confinio legitimi temporis petantur, & ejus terminos prorogabunt) dilationem petitori denegari conveniet: in ejus enim arbitrio [1] fuerat tunc inferre litigium, cum petitæ dilationis mora ſuperſtite ſpatio poſſet includi. §. 1. Quod ſi defenſio rei dilationis ſuffragium poſtulaverit: eandem aſſerta cauſa citra obſtaculum temporis differri ſancimus: quia nequaquam ſteterat in ipſius poteſtate, quando litigio pulſaretur. Dari igitur debet, etſi [2] impetrata dimenſio ſeſe ultra temporis definitionem proferat: Qua dilatione, ſi a reo impetratur, etiam actor in requirendis probationibus uti minime prohibebitur. Dat. 14. Kal. Auguſt. *Romæ*, CONSTANTINO Cæſ. & MAXIMO CONSS. 328.

De anno utili in quadriennium continuum transfuſo. 1. Quæ tempora excipiuntur in reſtitutionibus.

7. Imp. JUSTIN. A. Joanni P. P.

SUpervacuam differentiam utilis anni in integrum reſtitutionis a noſtra republica ſeparantes, ſancimus, & in antiqua Roma, & in hac alma urbe, & in Italia, & in aliis provinciis quadriennium [3] continuum [4] tantummodo numerari, ex die, ex quo annus utilis currebat, & id tempus totius loci eſſe commune: Ex differentia enim locorum aliquod induci diſcrimen, ſatis nobis abſurdum viſum eſt. Quod non ſolum in minorum reſtitutionibus, (quibus utilis annus incipit currere, ex quo viceſimi ſexti anni dies illuxerit) ſed etiam in majorum [5] hoc idem adhiberi ſancimus; ut & hic pro utili anno memorata continuatio temporis obſervetur ad interponendam conteſtationem, finiendamque litem. §. 1. Et quemadmodum omnis minor ætas excipitur in minorum reſtitutionibus; ita & in majorum tempus, in quo Reipublicæ cauſa abfuerint, vel aliis legitimis cauſis, quæ veteribus legibus enumeratæ ſunt, fuerint occupati, omne excipiatur: & non abſimilis ſit in hac parte minorum & majorum reſtitutio. Dat. Kalend. Septemb. *Conſtantinop.* poſt conſulatum LAMPADII & ORESTIS VV. CC. CONSS. 531.

TIT. LIV.
QUIBUS EX CAUSIS MAJORES [6] IN INTEGRUM RESTITUANTUR.

De officio legationis.

1. Imp. ANTONINUS A. Æmiliano.

SI propter officium *Legationis* [7] ad me bona fide factæ, abſens & indefenſus condemnatus es, inſtaurationem judicii jure deſideras, ut ex integro defenſionibus tuis utaris: nam eos quoque qui legationis officio funguntur, in eo [8] privilegio eſſe, in quo ſunt, qui Reipub. cauſa abſunt, receptum eſt. PP. 5. Non. Mart. DUOBUS & ASPRIS CONSS. 213.

De Cuſtodia *militari.*

2. Idem A. Dionyſio.

SI idcirco apud arbitrum præſentiam tui facere non potuiſti, quod ſub *Cuſtodia* [9] militari juſſu Præſidis detinebaris, idque in veritate eſſe Præſidi provinciæ probaveris [10]: accipies cauſæ inſtaurationem. PP. 13. Kalend. Octob. LÆTO & CEREALI CONSS. 216.

Cauſa cognita *majoribus ſubveniri.*

3. Imp. DIOCLET. & MAXIM. AA. & CC. Proculo decurioni.

IN contractibus [11], qui bonæ fidei [12] ſunt, etiam [13] majoribus officio judicis *cauſa* [14] *cognita* publica jura ſubveniunt. Dat. Non. Auguſt. DIOCLETIANO & ARISTOBOLO CONSS. 285.

De Republica.

4. Iidem AA. Priſciano.

R*Eſpublica* [15] minorum jure uti ſolet [16]: ideoque auxilium reſtitutionis implorare poteſt. Dat. 2. Id. Novemb. DIOCLETIANO & ARISTOBOLO CONSS. 285.

De reverſo ab hoſtibus.

5. Iidem AA. Liciniano.

SI ab [17] *hoſtibus* cum patre ac matre captus, poſtea his ibi defunctis, legis Corneliæ beneficio reverſus, ſucceſſiones eorum quæſiſti: exemplo utilis actionis, quæ in integrum reſtitutis datur, cum exceptionis annuæ (quæ huic objici ſolet) objectu res vindicare non prohiberis. Dat. 16. Kalend. Maji, CC. CONSS. 294.

TIT. LV.
DE ALIENATIONE [18] JUDICII [19] MUTANDI CAUSA FACTA.

Facta alienatione ratione mutandi judicii, poſſeſſor poteſt conveniri rei vindicatione, quam poſſeſſio parit. Bald.

1. Impp. DIOCLET. & MAXIM. AA. & CC. Attalo.

CUm in [20] rem actionem poſſeſſio pariat adverſario; alienatione etiam judicii mutandi cauſa celebrata, in integrum reſtitutio Edicto perpetuo permittatur: intelligis, ſi rem, ne ſecum ageretur, qui poſſidebat, venumdedit, & emptori tradidit: quem elegeris, conveniendi tibi tributam eſſe jure facultatem. Dat. 6. Kal. Decemb. *Viminacii*, CC. CONSS. 294.

TIT. LVI.
DE RECEPTIS [21] ARBITRIS [22].

De appellatione. De judicati actione. De pœna, ſi intra diem compromiſſo comprehenſum judicetur.

1. Imp. ANTONINUS A. Nepotianæ.

EX ſententia arbitri ex compromiſſo jure perfecto aditi [23] appellari non [24] poſſe [25], ſæpe reſcriptum eſt: quia nec judicati [26] actio inde præſtari poteſt: & ob hoc invicem pœna [27] promittitur, ut metu ejus a placitis non recedatur. Sed ſi ultra [28] diem compromiſſo comprehenſum, judicatum eſt, ſententia nulla eſt, nec ullam pœnam committit, qui ei non paruerit. PP. 9. Kal. Aug. *Romæ*, ANTONINO A. IV. & BALBINO CONSS. 214.

De eo, qui præſentiam ſui facere detrectat.

2. Imppp. CARUS, CARINUS & NUMERIANUS AAA. Clementi.

SI contra compromiſſum adverſarius tuus apud electum arbitrum præſentiam [29] ſui facere detrectavit, placitæ pœnæ videtur obnoxius. PP. 8. Kal. Januar. CARO & CARINO CONSS. 283.

De doli except. De doli clauſula.

3. Impp. DIOCLET. & MAXIM. AA. & CC. Petroniæ.

ARbitrorum ex compromiſſo ſententiæ non obtemperans, ſi ſordes [30] vel evidens gratia eorum, qui arbitrati ſunt, interceſſit; adverſus filiam [31] tuam agentem ex ſtipulatu, exceptione [32] doli mali uti poteris: ſed ex doli mali clauſula, quæ compromiſſi ſtipulationi ſubjici ſolet, filiam tuam convenire non vetaberis. PP. 3. Id. Januar. ipſis AA. CONSS. 293.

De jurejurando. 6. De verborum ſubtilitate negligenda.

4. Imp. [33] JUSTINIANUS A. Demoſtheni P. P.

NE in arbitris cum ſacramenti religione eligendis perjurium committatur, & detur licentia [34] perfidis hominibus paſſim definitiones Judicum eludere: ſanctiſſimo [35] arbitrio & hujuſmodi rem cenſemus eſſe componendam. §. 1. Si igitur inter actorem & reum, nec non ipſum Judicem fuerit conſenſum [36], ut cum ſacramenti religione lis procedat, & [37] ipſi quidem litigatores [in ſcriptis] hoc ſuis manibus [38] vel per publicas perſonas [ſcripſerint,] vel apud ipſum arbitrum in actis propria voce depoſuerint, quod ſacramentis præſtitis arbiter electus eſt, hoc etiam addito, *quod & ipſe* [39] *arbiter juramentum præſtiterit ſuper lite cum omni veritate dirimenda*: ejus definitionem validam [40] omnimodo cuſtodiri cenſemus; & [neque] reum, neque actorem poſſe diſcedere, ſed tenere omnifariam, quatenus obedire ei compellantur. §. 2. Sin autem de [41] arbitro quidem

1 Vide *l.* 42. *ff. de reg. jur.* 2 Plures dilationes dantur reo, quam actori. vid. quæ not. ad *l.* 125. *ff. de reg. jur.* 3 *l. ult.* J. *de repud. vel abſtin. hered.* & ita intra XXIX. annum ætatis reſtitutionem major petere tenetur. Apud Gallos ex Edicto Franciſci I. poteſt intra XXXV. annum. v. Rebuff. *tom.* 22. *tract. de reſtit. gl.* 2. 4 Continuus annus dicitur: quod computentur in eo etiam dies feriati. V. Wurmſ. 1. *pract.* 25. *obſ. ult.* ubi formam quoque libelli pro impetranda reſtitutione ſubjicit. Plenius de hujuſmodi libellis, vid. Oldendorp. *claſſ.* 6. *act.* 8. ubi de libello reſtitutionis minorum tractat. ut & 9. majorum. 10. quod metus cauſa. 11. doli mali. adde Ferrar. *in forma libelli ſuper petitione reſtitutionis in integr.* Goth. Ad intellectum hujus legis & intra quantum tempus poſtulanda ſit reſtitutio, vid. Afflict. *deciſ.* 177. Yanez. *lib.* 2. *rer. quotid. cap.* 11. & Boër. *deciſ.* 39. Anſ. Adi Innoc. Abbat. alios *ad cap. in literis. de reſtitut. ſpoliat.* Curt. jun. *conſil.* 110. *n.* 14. Decium *conſ.* 36. *n.* 9. Ægid. *deciſ.* 653. *in tit. de in integrum reſtitut.* Jaſon. *ad §. rurſus. Inſtit. de action. n.* 74. Boër. *deciſ.* 39. Socin. jun. *conſil.* 128. *num.* 164. *cum ſeqq. lib.* 1. Bart. *ad. l. cum filius.* §. 1. *ff. de verb. oblig.* Dyn. *in Regul. Cum quod in jure. de reg. jur. in* 6. Mod. 5 Id eſt, ſi cum abeſſent reipublicæ cauſa, læſi fuerint, intra quadriennium a ſuo reditu reſtitutionem poſtulant. Demus majorem in rationum computatione deceptum? Error calculi quadriennio non præſcribitur. *l.* 8. *ff. de adminiſtr. rer. l.* 13. *ff. de diverſis & temporal. præſcr.* quin actio de dolo ſuum biennium retinet *l. ult. ſupr. de dolo.*
6 *L.* 4. *D.* 6. vid. Papon. 3. *Notar.* 9. *fol.* 657. Oldendorp. *claſſ.* 6. *act.* 9. 7 *l.* 8. *l.* 25. *l.* 28. §. 1. *l.* 32. *ff. h. t. l.* 19. *ff. de teſtib. l.* 14. *ff. de legation.* 8 Legati civitatum habentur pro præſentibus Reipubl. cauſa. 9 *l.* 1. §. 1. *l.* 9. *l.* 15. *l.* 23. *ff. h. t. l.* 2. §. 1. & *ſeq. l.* 4. §. 1. *ff. ſi quis cautionib.* 10 Vid. *l.* 19. §. 1. *ff. de probat.* 11 *l.* 1. *in fin. l.* 26. §. 9. *l.* 28. §. 2. *ff. h. t.* adde *l.* 3. J. *comm. utriusque. l.* 2. J. *de reſcind. vendit. l.* 7. *ff. de in integrum.* adde Cujac. 13. *obſerv.* 24. 12 An & in ſtricti juris? utique. *l.* 4. S. *de dolo.* dicam plenius ad *l.* 2. J. *de reſcind. vendit.* 13 Vid. *l.* 3. J. *comm. utriusque judicii.* 14 Reſtitutionem non petunt, ſed officio judicis eis ſubvenitur. *Synopſ. Baſil.* 10. *tit.* 1. *ex tit.* 36. *cap.* 3. 15 *l.* 22. *in fin. ff. h. t. l.* 3. J. *de jure reipub. l.* 9. *ff. de appellat. & relat.* An idem eſt in rege & fiſco? negat Cynus hic. ſed Guido Papæ *deciſ.* 302. refert, Carolum regem Franciæ reſtitutum fuiſſe ſententia judicis adverſus remiſſionem Comitatus Valentini quam Lud. Pictavienſi fecerat. 16 Atque ita res pupilli & eccleſiæ æquiparantur. Abbas *in cap. auditis. de in integr. reſtit.* Cœpolla *caut.* 139. quod autem hic quærere ſolent gloſſographi, an caſtrum vel villa debeat in integrum reſtitui, item quando civitas vel univerſitas in integrum reſtituatur: de eo vide Socinum *conſil.* 299. Jaſonem *ad §. rurſus. n.* 35. *Inſtitut. de act.* Corn. *conſil.* 148. *lib.* 1. *n.* 10. Decium *conſil.* 42. *in fin. n.* 13. iterum Jaſonem *conſil.* 118. *l.* 1. Marſil. *ſing.* 699. ubi agit de communi. *Mod.* 17 *l.* 23. §. 1. *ff. h. t.* adde Paul. 3. *ſent.* 4. §. 8.
18 *L.* 4. *D.* 7. & 1. *Decret.* 42. Vide formulam hujus actionis apud Oldendorp. *claſſ.* 1. *act.* 11. 19 Titulus hic proprie ad reum pertinet, qui rem ad alium tranſtulit mutandi judicii cauſa: ideoque diverſus eſt a *tit.* 14. S. *h. lib.* Mod. 20 Poſſeſſio parit in rem actionem. *l.* 17. *ff. de pign. & hypoth.* In rem actio poſſeſſorem tenet. *l.* 1. J. *ubi in rem actio.* ex poſſeſſione eſt. *l.* 24. §. 2. *ff. de judiciis.* Goth. Ad intellectum hujus legis vide Bellon. *Supputat. lib.* 1. *cap.* 19. Anſ.
21 *Recepti arbitri*, judices ſunt compromiſſarii, non ordinarii. *l. pen.* §. 2. J. *h. t.* Receptum enim eſt compromiſſum. *l.* 14. §. 1. J. *de jud.* adeuntur autem vel ex pacto nudo, vel conſtipulatione, vel ex jurejurando, *l.* 4. J. *h. t.* ſublato a Juſtiniano *Nov.* 82. alias dantur a judicibus. *Goth.* De Arbitris, & Arbitratoribus vid. Berlich. *part.* 1. *concluſ.* 4. Emeric. a Roſbach. *proceſſ. judiciar. civ. tit.* 6. & Andr. Gail. *lib.* 1. *obſerv.* 150. S. L. 22 Arbitriis, *Hal.* adde *L.* 4. *ff.* 8. & 1. *Decr.* 43. 1. *ſext.* 22. 7. *Ecl.* 2. & 1. Harm. 4. *c.* περὶ αἱρετῶν κριτῶν. Formulam hujus actionis, vid. apud Ferrarienſ. *in forma compromiſſi* 28. adde Oldend. *in ench. except. cap.* 8. ubi tractat de exceptionibus adverſus arbitros: adde Rebuff. *tom.* 3. *tract. de arbitris, & arbitratoribus, & quomodo illorum ſententiæ reformari debeant.* 23 Lege, *addicti*, per ea quæ not. ad *l.* 16. J. *fam. erciſc.* & *l.* 80. *ff. de judic.* S. L. 24 A ſententia arbitri non appellatur, *l.* 32. §. 14. *ff. h. t.* *Carthaginienſis ſynodus c.* 98. & 123. Ea eſt arbitrii natura ac ratio vera, quam & Græcorum lex comprobat apud Demoſthenem, ἐν τῷ κατὰ μειδίου, & Lucianus *in abdicato.* Imo appellatur. *l.* 9. *ff. qui ſatisd. l. ult. in fin.* J. *de jud.* adde *l.* 14. *in fin. ff. hoc tit.* Solve: Ab arbitris datis a judice appellatur, non a compromiſſariis. vid. Baronem *ad l.* 3. Cujac. 9. *obſerv.* 23. Quid? nunquam a compromiſſario appellatur? appellatur, ſed eo caſu quo ex ejus ſententia actio oriretur. Bart. *hic num.* 3. *adverſus gloſſ.* quemadmodum ſi de jure pronunciare debuit, nec formam juris ſervavit. Id etiam locum habet in arbitro, in quem conſanguinei ex ſtatuto coguntur compromittere: nam ab eo poteſt appellari. Wurmſer. 1. *pract.* 24. *obſ.* 16. Cujac. ſcribit, moribus Galliæ a compromiſſario appellari, *ad Novell.* 82. *in fin.* & *conſult.* 12. vid. Socin. *reg.* 17. 25 Quando & quatenus hoc verum ſit, vide præter Gothofredum, hic Socin. *in reg.* 17. *verſic. appellare.* Felin. *ad cap. ſuper his. n.* 7. *extr. de accuſat.* Boër. *deciſ.* 284. *n.* 16. Annibalem Troyſium *ad l. nemo poteſt. de leg.* 1. *n.* 437. Duennam *reg.* 57. *Arbitri.* Ludov. Vitalem denique *lib.* 6. *variar. lect. c.* 6. Mod. 26 Ex ſententia arbitri non oritur judicialis actio. 27 Utilitatem pœnæ debitæ ex compromiſſo obſerva. 28 Quid? Poteſtne compromiſſarius terminum prorogare? poteſt utique, ſi ei data facultas fuerit: non poterit tamen in infinitum, quantumvis liberam poteſtatem habeat, ſed ad duas aut tres vices ad ſummum. Jaſ. *ad l. ult.* S. *de ſacroſ. eccleſ.* Wurmſer. 1. *pract.* 3. *obſerv.* 2. 29 Vid. *l.* 27. §. 4. *ff. h. t.* 30 Sordes ῥυπαρίαι *Synopſ. Baſil.* 7. 2. *cap.* 55. 31 Compromitti poteſt inter patrem & filiam. 32 *l.* 32. §. 14. *in fin. ff. h. t.* 33 Hanc legem a Baſilicis abeſſe Cujac. notat *h. tit.* 34 Perjuria vitanda. 35 Abrogatur, vide *Nov.* 82. *c.* 11. §. 1. 36 Paria ſunt jurare, & conſentire, ut cum ſacramenti religione lis procedat: modo de conſenſu appareat. 37 Nota formam jurandi in arbitrum. vid. tamen *auth. prox.* J. *h. t.* 38 Idem operatur ſcriptura propria ac manu tabellionis facta. *Bald.* 39 Nota de compromiſſo jurejurando, partium, & ipſius arbitri. delato & recepto. vide tamen *auth. prox.* J. *h. t.* 40 Ab arbitri ſententia jurejurando electi non appellatur. vid. tamen *auth. prox.* J. *h. t.* 41 Nota de arbitrio ſolo partium juramento delato. vide tamen *auth.* J. *h. t.*

dem nihil tale fuerit vel compoſitum, vel ſcriptum, ipſæ autem partes literis hoc manifeſtaverint, quod juramenti nexibus ſe illigaverint, ut arbitri ſententiæ ſtetur, & in præſenti caſu omnimodo definitionem arbitri immutatam ſervari, literis videlicet eorum ſimilem vim obtinentibus; ſive ab initio hoc fuerit ab his ſcriptum, vel præfato modo depoſitum, dum arbiter eligebatur, ſive poſt definitivam ſententiam hoc ſcriptum inveniatur, *Quod* [*cum*] *ſacramenti religione ejus audientiam amplexi ſunt*: vel, *Quod ea, quæ ſtatuta ſunt, adimplere juraverint.* §. 3. Sed & ſi ipſe ſolus arbiter hoc litigatoribus poſcentibus, vel ſcriptis, vel depoſitionibus (ut dictum eſt) manifeſtum facientibus, præſtiterit juramentum, *Quod cum omni veritate liti libramenta imponat*: ſimilem eſſe [etiam] in præſenti caſu prioribus ejus definitionem, & eam omnimodo legibus eſſe vallatam. §. 4. Et in his omnibus caſibus liceat vel in factum, vel condictionem ex lege, vel in rem utilem inſtituere actionem, ſecundum quod facti qualitas poſtulaverit. §. 5. Sin autem in ſcriptura quidem aut depoſitione nihil [1] tale apparuerit [2]: una autem pars dicat *juramentum eſſe præſtitum*, quatenus arbitrali ſtetur ſententiæ: hujuſmodi litigatorum, vel ſolius [3] arbitri ſermones minime eſſe credendos: cum & ſi quis juramentum datum eſſe non judice ſuppoſito, nec hoc ſcriptura partium teſtante, conceſſerit: incerti certaminis compoſitio (quæ inter homines imperitos ſæpe accidit) non aliquid vigoris rebus judicatis inferat, ſed in hujuſmodi caſu hæc obtineant, quæ Veteres ſuper arbitris eligendis ſanxerunt.

In AUTHENT. de judicibus. §. quia vero multæ. col. 6. tit. 11. al. 10. ſeu Novell. 82. cap. 11.

D*Ecernit jus novum, nullum ſic* [4] *fieri poſſe arbitrum*, ut cum ſacramenti religione judicet: *ſed pœnam ſtatuat, qua præſtita liceat a judicatis recedere. Si contra hoc judicatum fuerit, judex qui male judicat, ſi dolo facit, pœnam a Deo expectet: ſi ignorantia, nihil præter ſacramentum ei erit, neque litigatores rurſus damno afficientur.*

§. 6. Si quis autem poſt [5] arbitri definitionem ſubſcripſerit [6] ἐμμένειν (id eſt, *permanere*) vel πληροφορεῖν [7], (id eſt, *implere*) vel διδόναι id eſt, *dare*: (Græcis enim vocabulis hoc enarrare propter conſuetudinem utilius viſum eſt) & ſi [8] non adjecerit ὁμολογῶ [9], id eſt, *ſpondeo*: & ſic omnimodo per actionem in factum eum compelli ea facere, quibus conſenſit: Qualis enim differentia eſt, ſi hujuſmodi verbis etiam ὁμολογῶ adjiciatur, vel hujuſmodi vocabulum omnino omittatur; ſi enim verba conſueta ſtipulationum, & ſubtilis, imo magis ſupervacua [10] obſervatio ab [11] aula conceſſit; & nos quidem nuper legibus a nobis ſcriptis multa vitia ſtipulationum, multaſque ambages, ſcrupuloſoſque circuitus correximus: cur non & hujuſmodi ſcriptura totam formidinem Veteris juris amputamus; ut ſi quis hæc ſcripſerit, vel unum ex his, acquieſcere eis compellatur, & ea ad effectum omnimodo perducere? Cum non ſit veriſimile, hæc propter hoc ſcripſiſſe, ut tantum non contradicat, ſed ut etiam ea impleat, adverſus quæ obviam ire non poteſt. Dat. 3. Kal. Nov. DECIO V. C. CONS. 529.

De exceptione, & actione. 1. De temporis interruptione. 2. ut his quæ apud compromiſſarios facta ſunt, in ordinariis judiciis uti liceat.

5. Idem A. Juliano P. P.

CUm antea ſancitum fuerat in arbitris eligendis; quos neque [12] pœna compromiſſi vallabat, neque [13] Judex dederat, ſed nulla ſententia præcedente communis electio, *ut illorum ſententiæ ſtaretur* [14], procreabat; ſi quidem pro parte pulſata forma arbitralis procederet, exceptionem ei veluti pacti generari: ſin autem pro actore calculus poneretur, nihil ex eo procedere ei præſidii: ſancimus in eos arbitros, quos prædiximus, & quos talis conſenſus elegerit, ſub eo pacto [vel] in ſcriptis, vel non in ſcriptis habito, ut eorum definitioni ſtetur: ſiquidem ſubſcripſerint [15], poſtquam definitio proceſſerit, *Quod non diſpliceat ambabus partibus eorum ſententia*: non ſolum [reo] exceptionem [16] veluti pacti generari, ſed etiam actori ex noſtro numine in factum actionem, quatenus poſſit ſententia ejus executioni mandari, in hac quidem Regia civitate ab officio eminentiſſimæ Præfecturæ, vel ejus cujus [17] forum pars perſequitur fugientis: in provinciis autem tam per Moderatores, quam per apparitores eorum, vel per Judices, quorum regimen [pars] pertimeſcit pulſata. Sin autem poſt ſententiam minime quidem ſubſcripſerint [*Se*] *arbitri formam amplecti*, ſed ſilentio [18] eam roboraverint, & non intra decem [19] dies proximos atteſtatio [20] miſſa fuerit vel judici vel adverſario ab alterutra parte, per quam manifeſtum fiat definitionem non eſſe amplectendam: tunc ſilentio partium ſententiam roboratam eſſe, & fugienti exceptionem, & agenti memoratam actionem competere. Altera autem parte recuſante ſecundum præfatum modum, & implere ſtatuta minime cupiente: nihil fieri præjudicii, neque parari vel exceptionem reo, vel actori actionem: exceptis videlicet arbitris, qui cum ſacramenti religione electi ſunt, ſecundum novellam [21] noſtri numinis conſtitutionem: tunc etenim ea omnia ſervari [oportet], quæ lege noſtra ſuper hujuſmodi audientia definita ſunt. §. 1. Licet non ignoremus Julii Pauli opinionem, & aliorum certorum prudentium, qui tetigerunt [quidem] hujuſmodi quæſtionem, quam in præſenti aggredimur, non autem peritiſſime peregerunt, ſed uſque ad quaſdam actiones temporales ſtandum eſſe exiſtimaverunt: plenius tamen, & generaliter definimus, conventum in ſcriptis apud compromiſſarium judicem factum ita temporis [22] interruptionem inducere, quaſi in ordinario judicio lis fuiſſet inchoata. §. 2. Ad hæc generaliter ſancimus, in his quæ apud compromiſſarios facta ſunt; ſi aliquid in factum reſpiciens vel profeſſum eſt, vel atteſtatum, poſſe eo & [23] in ordinariis uti judiciis. Dat. 6. Kal. * LAMPADIO & ORESTE VV. CC. CONSS. 530.

De mulieribus.

6. Idem A. Joanni P. P.

SAncimus mulieres [24] ſuæ pudicitiæ memores, & operum quæ eis natura permiſit, & a quibus eas juſſit abſtinere, licet ſummæ atque optimæ opinionis conſtitutæ in ſe arbitrium ſuſceperint, vel, ſi fuerint patronæ, etiamſi inter libertos ſuam interpoſuerint audientiam, ab omni judiciali [25] agmine ſeparari, ut ex earum electione nulla pœna, nulla pacti exceptio adverſus juſtos earum contemptores habeatur. Dat. Kal. Septemb. *Conſtantinop.* LAMPADIO & ORESTE CONSS. 530.

TIT. LVII.
DE SATISDANDO [26].

Procurator actoris factus apud acta non tenetur ſatisdare de rato, ſed de defendendo. Bart.

1. Impp. DIOCLET. & MAXIM. AA. & CC.

NOn eſt incerti juris, eum qui apud acta [27] factus eſt agentis procurator, non compelli *ratam rem dominum habiturum* ſatisdare: hoc enim caſu velut præſentis [28] procuratorem intervenire intelligendum eſt. Itaque etſi poſtea mutata [29] voluntate procuratorem eſſe [30] noluerit, tamen judicium, quo quaſi procurator expertus eſt, Judex ratum habere debebit. Sin autem ei ab adverſario ſuo oppoſita [31] fuerit in ipſo litis exordio defenſionis allegatio: etiam ipſe quaſi abſentis in hac parte procurator ſatisdationem ſuper excipienda lite præſtare cogitur: qua non præcedente, lis, quæ ei data eſt, ulterius procedere a judice non conceditur. Rei autem procurator vel defenſor, etiam ſub geſtorum teſtificatione factus, in ipſo litis limine *judicatum* [32] *ſolvi* ſatisdationem in omnibus cauſis præſtare cogitur. Dat. 9. Kal. Novemb. CC. CONSS. 294.

TIT. LVIII.
DE FORMULIS [33] ET IMPETRATIONIBUS [34] ACTIONUM [35] SUBLATIS.

De formulis.

1. Imp. CONSTANTINUS A. Marcellino Præſidi Phœniciæ.

JUris formulæ [36] aucupatione ſyllabarum inſidiantes cunctorum actibus radicitus amputentur. Dat. 10. Kal. Febr. CONSTANTIO III. & CONSTANTE II. AA. CONSS. 342.

De Impetratione *actionis.*

2. Impp. THEODOS. & VALENTIN. AA. Hiero P. P.

NUlli prorſus non [37] impetratæ actionis in majore vel minore judicio agenti opponatur exceptio, ſi aptam rei, & propoſito negotio competentem eam eſſe conſtiterit. Dat. 10. Kal. Maji, FELICE & TAURO CONSS. 428.

TIT. LIX.
DE JUREJURANDO PROPTER [38] CALUMNIAM DANDO [39].

De probationibus. 1. De quæſtionibus.

1. Imp. JUSTINIANUS A. Demoſtheni P. P.

1 Nota de arbitrio nudo conſenſu partium delato. 2 Non præſumitur juratum, niſi probetur juratum. 3 Judex de actis & geſtis in cauſa teſtificari non poteſt. vide Socinum *reg.* 199. 4 Hodie arbitri non ſunt eligendi cum juramento. Quid ſi electi? Poterit ab illorum arbitrio recedi. *Novell.* 82. *c.* 11. *ubi* vide Cujac. 5 Scripturam requiri in arbitrii homologatione hinc colligitur. 6 Subſcripſerit οὐ μὴ ἀντιλέγω τὰ διορισθέντα διδόναι, *Hal.* 7 Cujacius videtur legiſſe πληροῦν. 17. *obſ.* 16. 8 Cauſa dubitandi ex eo videtur oriri: quod infinitivi: ἐμμένειν, πληροφορεῖν, διδόναι, & ſimiles nullam animi inclinationem oſtendant. Infinitivi namque ea eſt natura, ut omnes ipſe ſequatur modos, atque cum ipſis ad ſignificandum coaleſcat. Itaque Græci recte ἀπαρέμφατον appellarunt, quippe quod nihil indicet aut finiat: ſuus non eſt, ſed aliorum. vid. Scal. *c.* 114. *de cauſ. linguæ Latinæ.* Quod cum ita ſit, hujuſmodi infinitivi deſtituti alterius modi verbo nihil ſignificare videntur, & conſequenter non obligare iis utentem. Ratio vero decidendi in eo eſt, repeti verbum ἀπὸ κοινοῦ. Eodem modo teſtamentum non minus valet, quod in nuncupando herede omiſſum ſit verbum directum *Eſto. l.* 7. J. *de teſtam. l.* 1. §. 5. *ff. de her. inſt.* Idem dicendum in fideicommiſſo, ſi omiſſum ſit verbum *Volo. l.* 10. J. *de fideicomm.* Sic omiſſum verbum *Dare* non vitiat legatum. *l.* 106. *ff. de leg.* 1. ſi conſtat de voluntate, debetur legatum, licet minus ſcriptum ſit. *l.* 70. §. 9. *ff. de leg.* 3. 9 Inde homologatio & homologandi verbum practicis uſitatum: ejus loco Barbari Emologare dicunt. 10 Subtiles & nimis oneroſæ verborum formulæ in judiciis, arbitriis & ſtipulationibus deſuetæ. vid. *tit.* 58. J. *h. lib.* 11 Ab aula conceſſit, id eſt, non eſt in uſu. 12 Quoties ſine pœna compromiſſum eſt, ſententia arbitri eſt inutilis: niſi taciturnitate vel ſubſcriptione confirmata ſit. vid. Oldend. *c.* 8. *de except. num.* 9. 13 Arbitri vel mutuo partium conſenſu accipiuntur, vel a judice dantur. 14 Adi modo dictum Annibalem *ad d. l. nemo poteſt. n.* 430. 437. 441. & 443. Marant. *de ordin. judic.* Zuccar. *ad rubric. de pact.* S. *poſt n.* 81. Decium *conſil.* 60. *col. fin.* Alexand. *conſil.* 131. *lib.* 2. Nota autem legem hanc loqui de arbitris, non de arbitratoribus. Bartol. *ad l. ſi ſocietatem.* §. *arbitrorum. n.* 16. *ff. pro ſoc.* Imolenſ. *ad l. ſi convenerit. ff. de re jud.* Jaſon. *ad l. Julianus. n.* 23. *ff. de condict. indeb.* quot vero ſint genera arbitrorum vid. apud eundem Jaſonem *ad §. omnium. Inſtit. de act.* & conſule porro etiam Hippol. *ſingul.* 467. itemque Socinum *in reg.* 5. Mod. 15 Ex ſententia arbitri electi nudo pacto cum pœna & illa clauſula, *rato manente pacto*, acceptata expreſſe vel tacite a partibus oritur actio & exceptio. Quid ſi vel nudo pacto vel ſtipulatione pœnali citra ſuperiorem clauſulam compromiſſum eſſe dicetur? ad pœnam agetur. Quid ſi nuda ſtipulatione? ad intereſſe ſive id, quod intereſt. Bar. *hic* & Wurmſer. 1. *pract.* 22. *obſ.* 8. 16 De exceptione compromiſſariæ pronunciationis vid. Oldend. *c.* 40. *de except.* Interim notandum eſt, acta coram arbitro non valere, niſi ſcripta ſint. vid. Socin. *reg.* 5. 17 Sententia arbitri executioni mandatur per judicem rei, nec reſpicitur locus arbitrii. 18 Exemplum vid. *in l.* 5. J. *de re jud.* 19 Decem dierum ſilentio ſententia arbitri approbata intelligitur. 20 Clandeſtina atteſtatio non infirmat arbitri ſententiam. 21 *Nov.* 82. *c.* 11. 22 Citatio facta coram arbitro interrumpit præſcriptionem. 23 Confeſſiones & atteſtationes coram arbitro valent, etiam finito compromiſſo. 24 Mulier non poteſt eſſe arbiter. Ante hanc conſtitutionem Cujac. 13. *obſ.* 22. putat mulieribus integræ famæ id licuiſſe. Nam & Homeri 8. *Odyſſ.* Areta uxor Alcinoi dicitur etiam inter viros lites diſceptaſſe, & moribus Galliæ mulier inter beneficiarios, aut ſubditos ſuos ordinariam jurisdictionem habere poteſt, qui mores confirmantur *cap. dilecti.* 4. *extr. de arbitr.* 25 *l.* 21. S. *de procur. l.* 2. §. 1. S. *de his, qui veniam ætatis*, adde *l.* 4. J. *de curat. furioſi*, *l.* 2. *ff. de reg. jur.*
26 4. *Inſt.* 11. *L.* 2. *D.* 8. 9. 11. & 7. *D.* 9. & 39. *D.* 1. 2. 3. & 46. *D.* 6. 7. & Paul. 1. *ſent.* 11. Satiſdant actor, reus, eorumque procuratores: actor de lite perſequenda & expenſis litis, & decima litis, ſi ſuccubuerit, id ut obſervaretur in Gallia, oſtendi in Authentica *generaliter. l.* 25. S. *de Epiſc. & Cler.* Reus præſens ſatiſdat judicio ſiſti §. 2. *Inſt. de ſatiſd.* vid. Wurmſ. 1. *pract.* 10. *obſerv.* 1. Procurator actoris & rei ſatiſdat quoque, ut J. dicetur. 27 Procurator datus ab actore apud acta, non ſatiſdat ratam rem dominum habiturum, ſed ſi datus ab abſente, & de ejus mandato dubitatur, *l.* 1. S. *de procur.* §. 3. *Inſt. de ſatiſd.* ſatiſdabit rem ratam. vid. Oldend. *claſſ.* 1. *act.* 7. de ſatiſdatione procuratoris actoris, vid. Wurmſer. 1. *pract.* 10. *obſerv.* 1. 28 Procurator præſentis non cavet de rato. 29 Mutatio procuratoris clandeſtina nocet adverſario. 30 Al. *eſſe, dominus noluerit*: ſed recte ſubauditur. *Ruſſard. Charond.* 31 Procurator actoris tenetur cavere de defendendo in cauſa reconventionis, *l.* 15. *in fin. ff. de procur.* Bart. & merito, cum in ea partes rei ſuſtineat. 32 Procurator rei ſatiſdat de judicato ſolvendo. *l.* 46. §. 2. *ff. de procur.* De cujus actionis formula vid. Oldendorp. *claſſ.* 1. *act.* 7. & *ff. judicatum ſolvi.* §. 4. §. 5. *Inſt. de ſatiſdat.* De ſatiſdatione procuratoris rei, vid. Wurmſer. 1. *pract.* 3.
33 *l.* 1. J. *h. t.* vid. *autorem ad Herennium lib.* 1. Cauſa cadebat, qui non, quemadmodum oportet, egiſſet. Erant autem formulæ omnium rerum apud veteres. Cic. *Pro Roſcio Comœdo.* 34 *l.* 2. J. *h. t.* 35 Id eſt, de formulis in actionibus uſitatis ſublatis. Sunt etiam ſcrupuloſæ hujuſmodi ſolennitates in ſtipulationibus, §. 1. *Inſtit. de verb. oblig.* donationibus, *l. ult.* J. *de donat.* & arbitriis, *l.* 4. *in fin.* S. *de arbitr.* teſtamentis. *l. quoniam.* 15. & *l.* 17. J. *de teſtam.* bonorum poſſeſſionibus, *l. ult.* J. *de bon. poſſeſſ.* denunciationibus, *l. ſi quis. C. Theod. de denunciationib.* interdictis, *l. ult.* J. *de interdict.* adoptionibus, *l.* 2. *in fin.* J. *de adopt.* & emancipationibus, *l. ult.* J. *de emancip.* ſublatæ. 36 Non tamen actiones ſunt ſublatæ. *l.* 2. J. *h. t.* Aliud enim actio, aliud actionis formula. Illa ad agendi ſubſtantiam, hæc ad formam, & quidem verbalem, eamque ſcrupuloſam nimis refertur. 37 Ita ut hodie actiones ex legibus & edictis nobis ipſo jure competant, etiam ſi non poſtulentur.
38 De hoc jurejurando calumniæ v. Soc. *reg.* 208. 209. Dixi plura in praxi civili, *tit. de jurejur.* 39 Nec remittendo, *l.* 2. J. *h. t. c. cæterum.* 5. *extr. de juram. calumn.* & *c.* 1. §. 1. *de juram. calumn. in* 6. & 22. *Eclog.* 6. *Novell.* 49. *Nov. Leonis* 97. 107. vid. Wurmſer. 1. *pract.* 14. Hoc non ſervatur in Gallia, quia non ſolent Galli uti calumnia. Hodie tamen hoc obſervari eſſet utile, vid. Rebuff. *in proœm. conſtit. gloſſ.* 5. *num.* 50. Non ſervatur etiam jure Feudiſtico. 2. *Feud.* 33. §. 1.

IN omnibus cauſis, ſive propter literas fuerit apud te certatum, ſive propter inſtrumenta, ſive propter quicquam aliud, in quo neceſſitas probationis incumbit: ſancimus non [2] aliter eadem probationes præſtare compelli, niſi prius qui eas expoſcit, juramentum de calumnia præſtiterit, *Quod non cauſa differendi hujuſmodi propoſuit allegationes*: nam ſacramenti timore [3] contentioſa litigantium [4] inſtantia compeſcitur. §. 1. Ne autem perperam in quæſtionem [5] ſervorum quidam venientes, ſui animi crudelitatem exerceant, non aliter concedi eis, qui quæſtionem ſervorum expoſtulant, ad hoc venire, vel a judicibus audiri, niſi prius tactis [6] ſacroſanctis ſcripturis deponant, *quod non odio ſervorum, vel propter offenſas cohercendo ad hoc venerunt: ſed quia aliter* [7] *rerum hereditariarum veritatem exquirere vel oſtendere non poſſint*. Dat. 12. Kal. Octob. *Conſtantinop.* DECIO V. C. CONS. 529.

In AUTHENT. de his qui ingred. ad ap. §. fin. col. 5. tit. 4. al. tit. 11. ſeu Nov. 49. cap. 3.

HOc ſacramentum hodie remittitur, cum in initio juret nihil ſe calumnioſe in toto negotio exigere.

De litigatoribus & patronis cauſarum. Quid jurandum. 1. *Ubi jurandum.* 2. *De adminiſtrantibus res alienas.* Quid jurandum. *De aliis juramentis.* 3. *De abſente.* 4. *De ſacramento non remittendo.* 5. *Si mandatum eſſe non conſtet.* 6. *Si actor,* 7. *Vel reus jurare noluerit.* 8. *De utilitate & uſu hujus legis.* 9. *De litibus tempore hujus legis tam pendentibus vel futuris.*

2. Idem A. Joanni P. P.

CUm [&] judices [8] non [9] aliter cauſas dirimere conceſſerimus, niſi ſacroſanctis [10] Evangeliis propoſitis & patronos [11] cauſarum in omni orbe terrarum (qui [12] Romano imperio ſuppoſitus eſt) prius jurare, & ita perferre cauſas diſpoſuerimus: neceſſarium duximus præſentem legem ponere, per quam ſancimus in omnibus litibus, quæ fuerint poſt [13] præſentem legem inchoatæ, non aliter neque [14] actorem neque fugientem [15] in primordio litis exercere certamina, niſi poſt narrationem [16] & reſponſionem [17], antequam utriuſque partis advocati ſacramentum legitimum præſtent, ipſæ principales perſonæ ſubeant jusjurandum: Et actor quidem juret, *Non calumniandi animo [litem ſe] moviſſe, ſed exiſtimando bonam cauſam habere*: Reus autem non aliter ſuis allegationibus utatur, niſi prius & ipſe juraverit, *Quod putans* [18] *ſe bona inſtantia uti, ad reluctandum pervenerit*: & poſtea [19] utriuſque partis viros diſertiſſimos advocatos ([ſecundum] quod jam diſpoſitum eſt a nobis) juramentum præſtare, ſacroſanctis [20] videlicet Evangeliis ante judicem poſitis. §. 1. Sin autem vel dignitas vel ſexus perſonæ non conceſſerit eam ad judicem pervenire, in domo [21] litigatoris ſacramentum procedere: altera videlicet parte vel procuratore ejus præſente.

Quid jurandum.

In AUTHENT. De his qui ingred. ad appel. §. fin. col. 5. tit. 4. al. 11. ſeu Novell. 49. cap. 3.

IN ipſo juramento adjiciendum eſt, Nullum in tota lite exacturum probationem, niſi quam pro veritate putat quis neceſſario eſſe exhibendam: ne ſæpius juretur in cauſa.

Ubi & coram quibus jurandum.

In AUTHENT. ut litigantes jurent. §. 1. col. 9. tit. 7. al. 6. ſeu Novell. 124. cap. 1.

PRincipales perſonæ vel illæ, ad quas negotium in medio migraverit, coram judicibus jurent. Quod nihil penitus cauſa patrocinii judicibus vel alii cuicunque perſonæ pro hac cauſa dederint, vel promiſerint, vel poſtea dabunt, vel per ſe, vel per aliam mediam perſonam: exceptis his, quæ propriis advocatis pro patrocinio præſtant, aliiſque perſonis, quibus noſtræ leges dari diſponunt. §. 1. Sed ſi in ſacro conſiſtorio lites vel conſultationes intromittantur, ſub præſentia ſacri Senatus prædictum jusjurandum præſtetur. §. 2. Sed ſi qui litigantium ad judicem venire nequeunt: prædictum jusjurandum præſtent coram officiis ab adminiſtrantibus directis ad eos cum adverſa parte. §. 3. Mulier honeſtæ vitæ abſente adverſario juret coram officialibus. §. 4. Sed ſi partes in aliis locis abeſſe contingat, vel una earum abſens fuerit, juret ſub geſtis monumentorum apud judicem provinciæ vel apud defenſorem locorum. §. 5. Si quis autem litigantium prædictum jusjurandum præſtare noluerit: per ſententiam judicis actor caſum actionis, reus condemnationem ſuſtineat. §. 6. Tutores & curatores in cauſis, quas agunt, prædictum jusjurandum præſtabunt.

§. 2. Quod obſervari oportet, & ſi [22] tutores, vel curatores, vel aliæ [23] quædam ſint perſonæ, quæ adminiſtrationem alienarum rerum auctoritate legitima gerunt. Convenit enim & ipſos jurejurando affici [24]: *Quia ipſi cauſam ſcientes, ita ad eam perveniunt*: neque enim pupillus [25], neque adultus, vel aliæ hujuſmodi perſonæ: ſed ipſi, qui pro eis tutelam, vel curam, vel aliam legitimam gerunt adminiſtrationem, ſcire [26] poſſunt cauſam, & ita ad judicium pervenire: eo quod ex animi ſui ſcientia [27] jurent [28]. Et licet veræ cauſæ natura alia forſitan eſt: tamen quod [29] quiſque credit, & exiſtimat, hoc eſt jurandum. Omnibus aliis juramentis, quæ vel ex præteritis deſcendunt legibus, vel a nobis diſpoſita ſunt, in ſua firmitate duraturis.

§. 3. Sin autem abfuerit [30] alterutra pars, & per procuratorem cauſa ejus agitetur: non ante licentiam habeat actor litem exercendam ſuo procuratori mandare, niſi prius actis intervenientibus in [31] provincia, in qua degit, ſacramentum calumniæ ſubeat. Similique modo ſi reus abfuerit, & forſitan per *judicatum ſolvi* ſtipulationem procuratorem ordinaverit, vel defenſor [32] pro eo intervenerit: & ipſe vel præſente actore per ſe, vel per [33] inſtructum procuratorem [34], vel etiam abſente eo (ſi hoc judex perſpexerit) inter acta juramentum præſtet, quod reum dare antea diſpoſitum eſt. §. 4. Sed quia veremur, ne forſitan quidam colluſione aliqua utentes, remittere [35] videantur inter ſe hujuſmodi ſacramentum, & ex prædicta diſſimulatione noſtram ſanctionem deludant: ſancimus, omnes judices, licet ex compromiſſo [36] cognoſcant, vigorem ſuum exercentes (quia non pro commodo privatorum, ſed pro [37] communi utilitate præſentem legem poſuimus) minime [38] pati tale ſacramentum remitti; ſed omnimodo hoc & ab actore, & a fugiente exigi: ne paulatim videatur hujuſmodi res defraudari, & ſacramentum vel principalium perſonarum, vel advocatorum ex quacumque parte mutilari. §. 5. Hoc etiam huic legi addendum eſſe cenſemus: ut ſi quis pro alio litem movere [39] voluerit, & nullo mandato prolato, ſed per fidejuſſionem ratam rem dominum habiturum, ſuam perſonam firmaverit: ne vel ex hac machinatione lex circumſcribi videatur, ſancimus, ſi quid tale in poſterum emerſerit (ſive pro una perſona quis litem movere voluerit, ſive pro aliquo corpore [40], vel vico vel alia univerſitate) fidejuſſionem quidem [41] ſolidam præſtare: litem autem ulterius [42] minime procedere, niſi intra a judice ſtatuendum tempus faciat perſonas principales [43] ſacramentum ſubire, vel præſente adverſario, ſi hoc maluerit, vel alio pro eo agente, vel penitus altera parte ceſſante, inter acta apud defenſorem locorum [44] hujuſmodi ſacramentum præſtitit, vel apud ipſo pro eo agitur, vel [a] plurima [45] parte vel idonea univerſitate procedat. §. 6. Quod ſi actor noluerit ſacramentum calumniæ ſubire, & hoc legitime fuerit approbatum [46], non liceat ei penitus ad litem pervenire, ſed [47] cedat ab inſtituta actione, quaſi [48] improbus litigator, & triſtitia [49] judicum ei cum ſumma interminatione occurrat, & a judicio eum quam longiſſime expellat. §. 7. Sin autem reus hoc ſacramentum ſubire recuſaverit, in his capitulis quæ narratione comprehenſa ſunt, pro [50] confeſſo habeatur, & liceat judici ſententiam proferre, quemadmodum ei ipſa rei qualitas ſuggeſſerit. §. 8. Sic enim non lites ſolum, ſed etiam calumniatores minuentur: ſic enim putabunt ſeſe homines in ſacrariis [51] ſiſti. Si enim & ipſæ principales litigantium partes per juramentum lites exercent, & cauſarum patroni præbeant ſacramentum, & [52] judices propoſitis ſacroſanctis ſcripturis tam totius cauſæ faciant examinationem, quam ſuum proferunt arbitrium: quid aliud, niſi pro hominibus Deum in omnibus cauſis judicem eſſe credendum eſt? Antiqua itaque calumnia [53] quieſcente, & ejus ambagibus, conſtitutio noſtra dilucida & compendioſa in terris clareat omnibus, & ſit maximum dirimendarum [54] cauſarum remedium. §. 9. Sed prædictum ſacramentum in litibus quidem, quæ necdum ſunt inchoatæ, præſtari volumus in ipſo [55] litis primordio. Sin autem cauſæ adhuc pendentes inveniantur: vel poſt litem conteſtatam, & poſt ſolitas judiciales cautelas

1 *l.* 9. J. *de reb. cred. l. ult.* J. *de fideicommiſſis. l.* 34. §. 7. *l.* 37. *ff. de jurejur. l.* 11. §. *pen. ff. rer. amot.* 2 Cur inventum juramentum calumniæ. 3 Hinc colligunt in cauſis voluntariæ juriſdictionis, puta cum agitur de impetrando privilegio, vel impetranda diſpenſatione hoc juramentum locum non habere. 4 Demus judicem ex officio aliquid facere, num (quaſi litigans) jurabit de calumnia? non jurabit: Cur? cum inquirit ex officio non litigat. *Bald.* 5 Qui ſervos in quæſtionem petit, jurat de calumnia: ſed & aliis ſe probationibus deſtitui. *Tormenta* probationum reliquarum ſubſidia ſunt. J. *h. t. l. ult.* J. *de quæſtionib.* 6 Qui ita jurat, corporaliter jurat. 7 Quæſtio non expoſcitur, niſi deſperatis aliis probationibus. 8 Judices non admittunt litigatorum cauſas, niſi prius litigatores juraverint. 9 *Nov.* 90. *c. ult. in fin.* 10 *l.* 13. §. 4. J. *tit. prox.* 7. *Eclog.* 8. *ex tit.* 14. 16. 11 Advocatus munere ſuo fungi non poteſt, antequam juret. 12 Leges imperatoriæ non obligant extraneos. dixi *l.* 1. J. *de ſumma Trin.* 13 Leges dant formam futuris negotiis. *l.* 7. J. *de legibus.* 14 Jurare de calumnia principales ipſæ perſonæ tenentur. v. Soc. *reg.* 207. 15 Id eſt, reum, qui ut ſæpius judicium ſolet defugere. *l.* 5. J. *de recept. arbitris.* ob id fugiens dictus. 16 Petitio actoris, reique reſponſum, præcedere ſolet exactionem juramenti. Quid hujuſmodi omiſſio vitiatne proceſſum? vid. Roland. a Valle 1. *conſ.* 71. *n.* 7. 8. 32. Poteſt remitti? parentibus & patronis remitti poteſt. vid. Forner. 2. *ſelect.* 4. Cujac. 9. *obſ.* 37. *l.* 34. §. 4. *ff. de jurejur.* Aliis ita remitti non poteſt, quin judices ex officio poſſint exigere. Bald. *hic.* vid. §. 4. J. *hic.* 17 Id eſt, litis conteſtationem. 18 Confeſſio de credulitate æque præjudicat, ac confeſſio de veritate, vid. Socin. *reg.* 68. 19 Nota ordinem jurandi. Priore loco actor, ſecundo reus, tertio advocati jurant. 20 *In pr.* J. *h. t.* 21 *Nov.* 123. *c.* 7. 124. *c.* 1. *verſ. Si autem.* De denunciationibus ad domum, vid. Cujac. 7. *obſ.* 15. vid. *Nov.* 124. *c.* 1. *l.* 15. *ff. de jurejur.* 22 *Nov.* 124. *c.* 2. *verſ. In cauſis.* Legitimi adminiſtratores jurare debent de calumnia. 23 Etiam procuratores ex officio dati & fiſci. Gail. 1. *obſ.* 88. & 89. 24 Sic Suetonius in Caligula, *cap.* 13. *circa med.* ut omnibus juramentis adficerentur: ubi tamen vulgo legitur *adjiceretur.* 25 Pupilli juſta ignorantia præſumitur. Sciens non præſumitur pejerare aut fallere. *l.* 26. *ff. de jurejur.* Nihil poſſe ſcire intelligitur. *l. ult. ff. de jur. & fact. ignor.* Hinc colligit Bald. Perſonam in qua nulla eſt diſcretio juris & facti, non jurare de calumnia: & tamen admitti ad teſtimonium, quod in eo ferendo non exigatur ſcientia juris, ſed facti, quæ ſenſu corporali illi innoteſcit. 26 *l.* 7. J. *de in integ. reſtit.* 27 Sui ſententia, Cujac. 1. *obſ.* 21. & ita ſunt locuti Veteres. Livius 22. Cicer. *in Acad. & 3. offic.* Gell. 4. *cap. ult. l.* 3. §. 2. *in fin. ff. de teſtib.* 28 Certum non eſt arbitrarium legendum hic, *ex animi ſui ſententia jurent.* erat enim hæc vetus formula in jurejurando: ſic enim & Quintilianus (auctores a Gothofredo allegatos lubens hic prætereo) *lib.* 8. *c.* 5. *Sententiam veteres, quod animo ſenſiſſent, vocaverunt. Id quod eſt, cum apud oratores frequentiſſimum, tum etiam in uſu cottidiano quaſdam reliquias habet. Nam & juraturi ex animi noſtri ſententia, & gratulantes ex ſententia dicimus.* Petronius *in Satyr. Tabulas fœderis ſignat, quibus hæc formula erat: Ex tui animi ſententia ut tu Tryphena, neque injuriam tibi factam a Gytone queraris &c.* Ac ſtatim *item Lica, ex tui animi ſententia, ut tu Eucolpon nec verbo contumelioſe inſequaris, nec vultu.* Cenſoreſque adeo Romæ olim in exigendo jurejurando utebantur hac interrogatione: *Ex animi tui ſententia, tu uxorem habes?* atque pro eodem erat apud Athenienſes teſte Polluce σὺν γνώμῃ δικαιοτάτῃ. Mod. 29 Et ita qui jurat poteſt excuſari a perjurio, ſi id juraverit, quod crediderit. Juramentum de calumnia eſt credulitatis: de quo & ejus forma uſitata in quibuſdam Germaniæ locis, vide Wurmſer. 1. *pract.* 14. *obſ.* 8. 30 *Nov.* 124. *cap.* 1. 31 Jurari alibi poteſt de calumnia, quam in foro, in quo litigat reus, id eſt, actor de calumnia jurare poteſt eo loco ſui domicilii, non in foro judicis apud quem experitur. 32 Quid ſi ſit conjuncta perſona? quid ſi ignoretur, ubi reus vivat? curator bonis dabitur juraturus de calumnia. *Facit l.* 15. *ff. ex quibus cauſis major.* vide Bald. *hic.* 33 Dixi ſuperius de hac re. 34 An jurare de calumnia domini procurator poſſit, vide quæ notavi *l.* 34. §. 3. *ff. de jurejurand.* Utique jurare poſſe hic oſtenditur, & eſt exemplum apud Livium 31. Demus principalem ſeu dominum juraſſe de calumnia, an iterum procurator de calumnia jurare cogitur? hoc interpretes volunt: eo tamen caſu tantum, quo procuratoris confeſſio & contumacia noceret domino. vid. Wurmſer. 1. *pract.* 5. *obſerv.* 8. Quid? heredi poteſtne deferri juramentum calumniæ? vid. *l.* 12. *in princ.* J. *de reb. credit.* 35 Juramentum calumniæ utrum remitti poſſit, vid. Gail. 1. *obſ.* 84. 36 Coram compromiſſario judice juratur de calumnia. 37 Quod ad communem utilitatem immediate pertinet ac refertur, pactis privatorum remitti non poteſt. 38 Juramentum de calumnia non eſt remittendum, dixi ſuperius de hac quæſtione. adde Forner. 2. *ſelect.* 4. Ferrarienſis tamen putat remitti, & partem allegare, hoc eſt dicere poſſe ſe ſimplici dicto adverſarii ſtare velle. Ferrarienſ. *in forma libelli de oppoſit. contra teſtes* 2. *in verbis, & non jurat.* 9. 39 Id eſt, agere. 40 Procurator admittitur ad jurandum de rato in cauſa privatorum, ſed & in cauſa corporum, vicorum, univerſitatum. 41 Id eſt, de rato. 42 Id eſt, ultra litis conteſtationem. 43 §. 3. J. *hic.* 44 Actor jurare poteſt de calumnia: vel reo præſente vel abſente: ut & abſente vel præſente ejus procuratore, vel apud acta. 45 Et in privatorum & in univerſitatum cauſis jurandum eſt de calumnia. vid. *l. ultim. ff. ad municipal.* 46 Juramentum calumniæ non committi ipſo jure hinc colligunt. vide Gailium 5. *obſerv.* 86. 47 Pœnam actoris nolentis jurare de calumnia obſerva. 48 Actor nolens jurare de calumnia, præſumitur improbus litigator. 49 Id eſt, ſeveritas. 50 Reus juramentum calumniæ recuſans, habetur pro confeſſo. *l.* 38. *ff. de jurejurand. & §.* 1. *Inſtit. de pœna temere litigant.* 51 Judicia cum recte procedunt, æquitatis delubra: cum depravantur, foveæ fallaces & cæcæ. Ammian. 30. 52 *In princip. ſupr. h. t.* 53 Id eſt, calumniæ actionem: de qua *Inſtit. de pœna temere litigantium.* §. *utriuſque.* 54 Juramentum remedium maximum expediendarum litium. *l.* 1. *ff. de jurejur.* Paul. 2. *ſent.* 1. §. 1. 55 Juramentum de calumnia in ipſo litis primordio præſtandum.

jam

jam præſtitas: ſi quidem præſto fuerit utraque perſona, & in eadem civitate vel in territorio ejus moratur: & in his litibus ſacramentum locum habere, & in primo poſt hanc legem ingreſſu eum compelli jusjurandum præſtare. † Sin autem una pars abfuerit, ne videatur propter abſentiam perſonæ lis differri, & aliquod contrarium eveniat noſtro propoſito, & quod pro [1] compendio litium introductum eſt [protinus] hoc in adverſariam figuram transformetur: jubemus præſentem quidem perſonam omnimodo dare ſacramentum, abſenti [2] autem in pendentibus dumtaxat litibus (ſecundum quod prædictum eſt) hoc concedi. Sin autem utraque principalis perſona abfuerit, ne diutius lites protelentur, etiam ſine datione ſacramenti lites pendentes ſuo decurrant tramite. PP. 4. Kalend. Aug. JUSTINIANO A. IV. & PAULINO V. C. CONSS. 534.

3. Idem *

PAteat omnibus noſtram rempublicam procurantibus, conventiculam ſeu conſpirationem jurisjurandi religione, vel quoquo modo compoſitam, a noſtra majeſtate prohiberi & deteſtari: Unde hujus rei fautores & ſocios ab omni publico honore ſibi commiſſo infamiæ nota privamus: non habentibus autem, ad ullum publici honoris gradum accedendi licentiam penitus amputamus.

1 Ut litium compendia ſunt quærenda, ita eorum fugienda eſt comperendinatio, ſive dilatio. 2 Vid. quæ ſcripſi ad *l.* 15. *ff. de jurejur.*

D. JUSTINIANI

SACRATISSIMI PRINCIPIS, PP. A.

CODICIS,

REPETITÆ PRÆLECTIONIS,

LIBER TERTIUS.

TIT. I.

DE JUDICIIS [1].

De ſtipulatione uſurarum.

1. Impp. SEVERUS & ANTONINUS AA. Clementi.

JUdicio cœpto [2], uſurarum [3] ſtipulatio non eſt perempta: Supereſt igitur, ut debitorem ejus temporis, quod [4] non eſt in judicium deductum, convenire poſſis. PP. Kalend. April. ANTONINO II. & GETA II. CONSS. 206.

Si ſæpius tutelæ agatur.

2. Iidem AA. Valerio.

LIcet judice accepto [5], cum tutore tuo egiſti, ipſo [tamen] jure actio tutelæ ſublata non eſt: & ideo ſi rurſus eundem [6] judicem petieris, contra [7] utilem exceptionem rei judicatæ, ſi de ſpecie [8], de qua agis, in judicio priore tractatum non eſſe allegas, non inutiliter replicatione doli mali uteris [9]. PP. VI. Kal. Jan. FAUSTINO & RUFO (RUFINIANO) CONSS. 211.

Si quæſtio ſtatus bonorum diſceptationi concurrat.

3. Imp. ALEXAND. A. Fauſtinæ.

QUoties quæſtio ſtatus [10] bonorum diſceptationi concurrit; nihil prohibet, quo [11] magis apud [12] eum quoque, qui alioquin [13] ſuper cauſa ſtatus cognoſcere non poſſit, diſceptatio terminetur. PP. 6. Id. Febr. JULIANO II. & CRISPINO CONSS. 225.

De quæſtione evictionis omiſſæ.

4. Idem A. Popilio.

SI cum tibi pretium prædiorum a procuratoribus comparatorum reputaretur [14], & inſtrumenta emptionis traderentur [15], quæſtionem omiſſæ evictionis [16] non moviſti: intelligis ſemel finitam litem inſtaurari non poſſe. PP. Kal. Aug. MODESTO & PROBO CONSS. 229.

De Judice delegato.

5. Imp. GORD. A. Marcello.

A Judice [17] judex delegatus [18], judicis dandi poteſtatem non habet [19]: cum ipſe judiciario munere fungatur [20]: niſi a Principe judex datus fuerit. PP. 4. Non. Septemb. ULPIO & PONTIANO CONSS. 239.

Quid ſit judici per ſe, vel per Conſiliarios expediendum.

In AUTHENT. ut defun. ſeu fun. eor. non injur. a cred. §. illud. col. 5. tit. 15. al. 13. ſeu Novell. 60. cap. 2.

AD hæc, ſi adminiſtrator ſit, & publicis occupationibus impediatur, litem apud ſe agitandam ſaltem in conteſtatione audiat: & rurſus in medio ſemel, & in fine omnia etiam quæ ſunt examinata, conſequenter audiat, & ſic ferat ſententiam & appellationem, ſi fiat, ſuſcipiat: cætera licet expediri per conſiliarios [21]. *Item judex appellationis rem per ſe audiat. Delegatus autem omnino per ſe litem una cum conſiliariis examinet. Sed ſi contra hoc factum fuerit, graves pœnæ ſequentur: nam Adminiſtratores & delegati viginti librarum auri multam præſtabunt: Conſiliarii, ſi quidem advocati ſint, ab advocatione expellentur: ſi vero non ſint, ſed cingulum habeant: cingulo privabuntur, & decem libras auri præſtabunt.*

De ſervis.

6. Idem A. Juniæ.

SErvus [22] in judicio intereſſe [23] non [24] poteſt [25]: nec ſi condemnatio aliqua in perſonam ejus facta ſit, quod ſtatutum eſt, ſubſiſtit. Dat. 15. Kal. Septemb. GORDIANO A. & AVIOLA CONSS. 240.

Contra ſervum detentorem rei pignori obligatæ non poteſt agi ex perſona domini ſui defuncti, ſed miſſio in bonorum poſſeſſionem petenda eſt.

7. Impp. DIOCLET. & MAXIM. AA. & CC. Hyrinæ.

CUm [26] debitoris tui ſervum tibi pignoris jure obligatum, bona domini ſui quondam rebus humanis exempti tenere profitearis, adverſus eum dari tibi actiones contra jus poſtulas: ſi quidem inter [27]

1 Seu cognitionibus judicum datorum a magiſtratu vel Principe, *L.* 5. *ff.* 1. & 1. *C. Theod.* 18. & 7. *Synopſ. Baſil.* 1. & 2. *Decret.* 1. & 2. *Sept.* 1. & 2. *Clem.* 1. & 2. *Extravagant.* 2 Stricti juris ſc. finge uſuras ſtipulanti promiſſas: & ita concilia hanc *l. cum l.* 13. *in fin.* J. *de uſur.* Cæterum judicium cœptum dicitur interdum lite conteſtata, interdum ſola citatione. 3 Lite conteſtata uſuræ currunt. *l.* 35. *ff. de uſur.* Sortis obligatione (adde & præteritarum uſurarum) in judicium deducta, pœna creſcit. *l.* 99. *ff. de verb. oblig.* 4 Petitio ſortis non impedit curſum uſurarum pendente judicio. *Bald.* Uſuræ quæ pendente judicio emergunt, ſi non eodem judicio vel a principio litis petitæ ſint, alio judicio ſunt petendæ. 5 Judex acceptus delegatus ab ordinario. *l.* 5. J. *h. t. l.* 15. *ff. de re judic. Zaſ.* non ordinarius, ut vult Odofredus. 6 Cauſæ continentia non eſt dividenda. *l.* 16. J. *h. t.* Quæri poteſt, quemadmodum hic ad eundem judicem ſit eundum, cum conſtet judicaſſe, atque ita officio ſuo jam functum eſſe. *l.* 42. *ff. de re judic.* Aliter hic ſpecies nobis eſt fingenda: Datus enim hic judex fuit generaliter ad finiendam tutelæ actionem: unicam autem tantum ejus ſpeciem hic definit ac decidit, ideoque officium ejus non extinctum. *l.* 43. *ff. de recept. qui arbitr.* 7 Contra utilem exceptionem datur replicatio doli. 8 Si petitio generalis, proſecutio ſpecialis ſit, & poſtea ſententia generaliter feratur, ea utique reſtringitur ad proſecuta & allegata tantum, non ad ea quæ in judicium non deducta fuerint. adde *l.* 3. J. *de transact. l.* 43. *ff. de recept. qui arbitr.* 9 Niſi cum generaliter petiiſſes, de una tantum ſpecie probaveris. *l.* 29. J. *de transact.* niſi id quod nunc petis continebatur principali, ut ſunt fructus, uſuræ, & evictiones. *l.* 4. J. *h. t.* 10 Si quæſtio ſtatus in controverſiam motam inciderit, neglecta principali cauſa ſtatus priori loco cognoſcitur. *l.* 6. J. *de ord. cogn.* 11 Id eſt, quo minus. *Azo & Gloſſ. interlinearis*, Cujac. *ad l.* 7. §. 2. *ff. pro emptore.* 12 Qui de re aliqua principaliter non poteſt cognoſcere, ſi incidenter ea movebitur, de ea cognoſcet. 13 A contrario collige, eundem judicem quæſtionis principalis judicem eſſe cauſæ & emergentis ſeu incidentis. *Bald.* 14 Dum illi rationem tutelæ tibi redderent: poſſunt enim tutores & curatores contrario judicio tutelæ pupillis ſuis reputare, quod eorum nomine impenderint. *l.* 1. §. 4. *ff. de contrar. tut.* 15 Senſus eſt, pupillum curatori ſuo litem moviſſe, curatorem ei reputaſſe pretium fundi comparati, eamque emptionem ut probaret, inſtrumenta emptionis in judicium protuliſſe: mox Popilium ſententia judicis damnatum, eam impenſam curatoris agnoſcere, curatorem emptionis inſtrumenta Popilio tradidiſſe: finita mox lite, Popilio fundum evictum fuiſſe; venditore non ſolvendo, mox adverſus curatorem egiſſe, eo ſcil. nomine, quod cum ſupradictum fundum emeret, cautionem omiſiſſet evictionis: Curator hujuſmodi negligentiam nunquam ſibi reputatam fuiſſe a Popilio, vel in ipſo judicio, vel cum ei inſtrumenta emptionis traderentur, negat. Contendit itaque hoc negotium & ſententia judicis, & ſpontaneo Popilii conſenſu finitum: ſemel finitam litem non inſtaurari. Quo jure pro curatore judicatum eſt. Quo jure, inquies, cum minor adverſus rem judicatam reſtituatur, ſi ſe deceptum læſumve probaverit. J. *ſi adverſus rem judicatam.* & minores juris ignoratione decepti reſtituantur. *l.* 2. J. *de jur. & fact. ignor.* Zaſium res ea movit *hic. num.* 4. ut diceret, minorem eſſe reſtituendum: cui non illibenter accedo, niſi dicas, Popilium jam majorem viginti quinque annis curatoribus judicium dictaſſe. 16 Evictio eſt de appendicibus & appendix venditionis. Qui de principali egit omiſſo acceſſorio, ſi poſtea in ſententia nulla acceſſorii fiet mentio, acceſſorium intelligitur remiſſum, & ita finitum, ut poſtea ejus nomine quæſtio moveri non poſſit. 17 Juriſdictionem habente, id eſt, magiſtratu. *Livius* 3. & J. *de juriſdict.* 18 Pedaneus judex delegatus a judice non a Principe, judicem dare non poteſt. *l. ult. ff. de off. ejus, cui mandata. l.* 5. *ff. de juriſd.* Cur tam varie? Principis delegatus habet apparitores, executores proprios, & adſeſſores, ad inſtar magiſtratus: quod cæteri delegati non habent. vide *Nov.* 60. *c.* 2. Cujac. 12. *obſerv.* 1. adde Hartmannum 2. *pract.* 1. *obſ.* 8. 19 Imo habet, ut legatus proconſulis. *l.* 12. §. 1. *ff. h. t. l.* 12. *ff. de off. proconſ.* ſolve, Speciale eſt in proconſule. Accurſ. Bald. Zaſ. *hic.* An perpetuo verum eſt a delegato judice non ſubdelegari? Zaſius *ait hic n.* 15. idque ita verum eſſe, ut ne quidem in cauſis neceſſarii impedimenti, vel poſt litis conteſtationem vel partium conſenſu ſubdelegare poſſit. 20 Loco alterius ſcil. non proprio. *l.* 3. *ff. de off. ejus, cui mandat.* Quod proprium non habemus, dare alteri non poſſumus. At proconſulis legatus nihil proprii habet, *l.* 13. *ff. de off. proconſ.* & tamen ſubdelegat. *l.* 12. *d. tit.* ſolve, In legato proconſulis veſtigia quædam ſunt magiſtratus, ex quo lex ita cenſuit ac voluit, ut mandare ſuam juriſdictionem & ſubdelegare poſſit. Ideoque proconſul dicitur propriam juriſdictionem legatis dare. *l.* 4. *ff. de off. ejus, cui mandat.* lex illa conciliari ita poteſt cum *l.* 13. *ff. de off. proconſ.* ut ſit ſenſus: Legatus proconſulis ſubdelegare poteſt: quia juriſdictionem habet, qua uti poteſt quaſi jure proprio: quod non ex autoritate ipſius proconſulis, *d. l.* 13. ſed legis id ita ſtatuentis ac volentis dependet. Itaque propriam non habet, ſi conditionem proconſulis ſpectaveris: habet propriam, ſi legis vim ac poteſtatem conſideraveris, cui id ita conſtituere licet. Deinde cum dicimus: Propriam juriſdictionem a proconſule legato conferri, ne intelligas eam conferri in individuo, quam habet proconſul (alioquin ea data nihil apud eum remaneret) ſed eandem in ſpecie: ut ſemper ſit ea propria legati: eaque quaſi jure proprio uti poſſit, non voluntate ipſius proconſulis, ſed vi ac poteſtate legis id ita ſtatuentis. 21 Notatur hic facilius permitti judici ordinario delegare cauſas integraliter, quam delegare reſervata ſententia, cum contrarium videatur de directo probari *in l. placet. de Pedan. judic.* ſecundum Bartoli intellectum ibi. Vide Vacon. *l.* 6. *declarat. cap.* 236. cui conjunge Joan. Baptiſt. Ferret. *in conſil.* 116. Joann. Longo *ad l. imperium. n.* 37. & 39. *ff. de juriſdict. omnium judic.* Mod. 22 Servus non litigat, nec facta in eum condemnatio ſubſiſtit. *Synopſ. Baſil.* 7. *tit.* 6. *cap.* περὶ δούλων 6. & 5. Harmen. 14. §. 7. 23 Siſti tamen poteſt judicio. *l.* 81. *ff. de verb. oblig.* 24 *l.* 13. *ff. ſi quis cautionibus. l.* 107. *ff. de regul. jur.* 25 Niſi ex quibuſdam cauſis. *l. ult.* J. *ubi cauſ. fiſc. l.* 1. J. *ſi per vim vel alio modo. l. vix.* 53. *ff. de judic.* Mod. 26 Si bona debitoris tui defuncti ab ejuſdem ſervo occupantur, non debes illum ſervum convenire, *ut hic*: & *l.* 6. J. *h. t.* ſed heredes defuncti, aut quemvis hominem cauſam hereditatis defendentem. Quod ſi neque heres ſit, neque curator aliquis bonorum, potes a judice petere, ut te ex officio ſuo in poſſeſſionem bonorum defuncti immittat. unde colligunt poſſeſſionem ex primo decreto peti poſſe, & obtineri ſine aliqua citatione contra hereditatem jacentem, vel bona vacantia: ex ſecundo vero decreto quo jus dominii conſtituitur, non poſſe, niſi curatore bonis dato. *ff. de curat. bon. dando.* 27 *l. ult.* J. *de noxalib. act.*

ſervum